nis, et revertitus in patriam) : ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, et reducam in terram Israël. »

XXXVII. Vers. 16. « Fili hominis, sume tibi lignum unum : et scribe super illud : Judæ, et filiorum Israel sociorum ejus : et tolle lignum alterum, et scribe super illud : Joseph ligno Ephraim, et cunctæ domui Israel, sociorumque ejus. Et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, et erunt in unionem in manu tua. » Hoc symbolo significat Deus, se Judæos et Israelitas, sive Samaritas, jam inter se contrarios, uniturum in Ecclesia, per fidem et gratiam Christi. Unde explicans subdit : « Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, etc. Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel. Et servus meus David (Christus Davidis filius) rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. Et percutiam illis fœdus pacis. Et erit tabernaculum meum in eis : et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. »

EX DANIELE.

I. Cap. II, vers. 31. « Tu rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis : caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex ære ; tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas, donec abscissus est lapis de monte sine manibus : et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et comminuit eos. Hoc est somnium : Interpretationem quoque ejus dicemus coram te. Tu rex regum es, tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum : et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum ; quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. Porro quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream : regnum divisum erit. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem, et consumet universa regna hæc : et ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum. » Caput aureum fuit monarchia Nabuchodonosoris ; pectus argenteum, regnum Cyri et Persarum ; venter æreus, regnum Alexandri et Græcorum ; tibiæ ferreæ, regnum Romanorum : sed hæc omnia comminuit lapis sine manibus de monte abscissus, id est, Christus ex virgine natus, cujus regnum gloriosum erit et æternum.

II. Cap. IV, vers. 7 et 22. « Videbam, et ecce arbor in medio terræ : et proceritas ejus contingens cœlum. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius : et ex ea vescebatur omnis caro. Et ecce vigil et sanctus de cœlo clamavit. Succidite arborem, cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei, et septem tempora mutentur super eum. » Arbor hæc est Nabuchodonosor, vigil est Angelus intentans ei ejectionem e regno, et commutationem in bestiam. Ita explicat Daniel. « Ejicient te, inquit, ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fenum ut bos comedes, et rore cœli infunderis : septem quoque tempora (id est, septem anni) mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud. Quamobrem, rex consilium meum placeat tibi : peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. »

III. Cap. V, vers. 25. « Mane, Thekel, Phares. Mane numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. Thekel : appensus es in statera, et inventus es minus habens. Phares : divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. Eadem nocte interfectus est Baltassar, et Darius Medus successit in regnum. » Hic eventus clare visionem explicat.

IV. Cap. VII, vers. 3. « Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari. Prima, quasi læna, et alas habebat aquilæ, et cor hominis datum est ei. Et ecce bestia alia similis urso ; et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. Et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia. Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans : et habebat cornua decem. Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum : et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus : et ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu, et os loquens ingentia. » Hæc quatuor animalia sunt quatuor monarchiæ : læna sunt Assyrii, ursus Persæ, pardus Græci, quarta bestia sunt Romani. Ex quarta orientur decem cornua, id est, decem reges in fine mundi ; et cornu parvulum, id est Antichristus, qui tres reges debellabit ; unde mox reliqui septem ei sponte se subdent.

V. Vers. 9. « Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus : millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Hic est Pater æternus, qui regnum Antichristi adjudicabit Christo et Christianis, unde subdit : « Judicium sedit, » id est, judices sederunt, « et libri aperti sunt : et vidi quoniam interfecta esset bestia (Antichristus), et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. »

VI. Cap. VIII, vers. 3. « Ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, et unum excelsius altero : ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente, et non tangebat terram ; et percussit arietem. » Aries est Darius, quem percussit hircus, id est Alexander Magnus.

Vers. 8. « Hircus autem caprarum magnus factus est nimis : cumque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua : de uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum : et factum est grande, et magnificatum est usque ad cœlum : et dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas. » Cornu magnum est Alexander : eo fracto, id est mortuo, regnum ejus divisum est in quatuor cornua, id est primarios ejus duces : e quorum uno prognatus est Antiochus Epiphanes, qui Judæam, Deique templum vastavit, ejusque cultores occidit.

VII. Cap. IX, vers. 24. « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum. » Hæ 70 hebdomades annorum sunt, faciuntque 490 annos, *q. d.* 490 anni fluent usque ad Christum.

VIII. Cap. X, vers. 5. « Et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo : et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens : et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis : et vox sermonum ejus ut vox multitudinis. » Hic vir est Archangelus Gabriel, qui cap. seq. victorias Machabæorum, Christi et Christianorum Danieli enarrat : quocirca augustam hic formam assumit, ut per eam illas repræsentet. *Primo* ergo linea vestis significat sacerdotium Machabæorum et labores.

Secundo, zona aurea significat eorumdem charitatem, bella et regnum. *Tertio*, chrysolithus, eorumdem gloriam et triumphum. *Quarto*, facies fulgurans eorumdem zelum violentum in hostes. *Quinto*, oculi, ut lampas ardens, eorumdem prudentiam et vigilantiam. *Sexto*, brachia et crura æneæ, eorumdem fortitudinem, et armorum splendorem. *Septimo*, vox multitudinis, exercitum et phalanges tam Machabæorum quam Angelorum pro eis pugnantium.

PARABOLÆ ET SIMILITUDINES.

EX ISAIA.

I. Cap. I, vers. 3. « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit : » magis ergo ingratus et stolidus est, quam bos vel asinus.

II. Vers. 5. « Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas : vulnus et livor, et plaga tumens, » *q. d.* Tota respublica Judæorum, eorumque corpus politicum totum, puta tam principes et sacerdotes quam laici scelericbus corrupti sunt, sauci et putridi.

III. Vers. 8. « Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario. » *q. d.* Desolabitur Jerusalem, fietque quasi vinea, aut hortus, collectis uvis et fructibus, deserta et squalida.

IV. Vers. 9. « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. » Semen vocat paucos excidio reliquos, quos Deus servavit in semen et propaginem gentis. Nisi enim Deus gentem servare voluisset, omnes Judæi periissent, uti perierunt omnes Sodomitæ et Gomorrhæi.

V. Vers. 10. « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ, » *q. d.* Judæa in impietate parfuit Sodomæ et Gomorrhæ ; fuisset ergo et par in pœna et excidio, ni Deus semen gentis servasset, propter Christum ex ea nasciturum, juxta promissa Davidi et Abrahæ facta.

VI. Vers. 18. « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt, » *q. d.* Si pœniteat vos, moresque mutetis, ego conscientiam vestram tot sceleribus vulneratam et cruentam emundabo, ut fiat pura et candida quasi nix, et lana alba.

VII. Vers. 21. « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis ? » *q. d.* Quomodo Jerusalem, olim sponsa Deo fidelis, nunc quasi meretrix fornicata est cum idolis ?

VIII. Vers. 29. « Erubescetis super hortis quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua, » *q. d.* In hortis sub quercubus erexistis aras, et sacrificastis idolis : ideo desolabimini ut quercus in hieme, cum defluunt folia ; et sicuti hortus in æstate arescens ex siccitate, ob defectum aquæ.

IX. Vers. 31. « Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat, » *q. d.* Ego vestra idola, quæ putatis fortissima et invicta, ac vestra opera opesque delebo, et comburam instar stupæ, quæ levi flamma absumitur.

X. Cap. V, vers. 28. « Ungulæ equorum ejus (Nabuchodonosoris erunt validæ et duræ) ut silex : et rotæ ejus quasi impetus tempestatis. Ru-

gitus ejus ut leonis, etc. aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus. » Parabolæ hæ claræ sunt.

XI. Cap. IX, vers. 3. « Lætabuntur (Gentes, accepta prædicatione Evangelii, gratiæ et salutis) coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian, » *q. d.* Sicut olim in die conflictus cum Madianitis, tu, Domine, per Gedeonem eosdem superasti, et profligasti, itaque eorum jugum, virgam et sceptrum abstulisti a cervicibus Judæorum : ita in die quo verus Gedeon, id est excisor iniquitatis et peccati, puta Christus, confliget cum dæmonibus, principibus, Judæis et gentibus impiis, tu, Domine, aderis Christo, ut hostes hosce suos et nostros profliget, eorumque quasi exactorum et tyrannorum jugum et sceptrum a fidelium cervicibus excutiat.

XII. Vers. 18. « Succensa est quasi ignis impietas, vepres et spinam vorabit, et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi, » *q. d.* Sicut ignis in sylva succensus, primo vepres et sentes corripit, deinde sylvam totam depascitur, ut tota densitas saltus convolvatur in superbia, id est in elatione et altitudine fumi : ita impietas sensim pervasit populum, ut totum Israel convolverit, ac proinde convolvet eumdem quoque sua pœna.

XIII. Cap. X, vers. 14. « Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum : et sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret, » *q. d.* Ego Sennacherib tam facile cepi gentes et regna, quam facile auceps capit ova et pullos avis in nido, cui avis ipsa obstrepere et ogganire, aut potius obgarrire non audet. Sed hanc regis barbari arrogantiam retundit Deus, dicens :

XIV. Vers. 15. « Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. » Sic et tu, o Sennacherib, non debes gloriari, nec mihi adimere, et tibi ascribere tot victorias, et gentium excidia : quia tu fuisti tantum securis, et quasi serra, qua ego gentes quasi ligna dissecui et serravi; atque quasi baculus et virga, qua easdem flagellavi.

XV. Vers. 15. « Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem : et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma : et succendetur et devorabitur spina ejus, et vepres in die una, » *q. d.* Deus percutiet milites Sennacherib ardore et peste, qui eos ita arefaciet et aduret, sicut ignis solet afflare et adurere spinas et vepres in sylva.

XVI. Cap. XIV, vers. 4 et 8. « Quomodo cessavit exactor (rex Babylonis?) quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Abietes quoque lætatæ sunt super te et cedri Libani; ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solliis suis : et dicent tibi : Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. » Figurate inducit hic reges et principes in inferno, suscipientes et subsannantes regem Babylonis occisum.

XVII. Cap. XVI, vers. 2. « Sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes; sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. » Sensus est clarus.

XVIII. Vers. 8. « Vineam Sabama Domini contium exciderunt, flagella (ita vocantur propagines vitis) ejus usque ad Jazer pervenerunt : erraverunt in deserto, propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare, » *q. d.* Populus Moab vastatus a Chaldæis, ab iis captivus trans aquas ducitur in Babylonem.

XIX. Cap. XVII, vers. 6. « Et relinquetur in eo (in Israele) sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, » *q. d.* In excidio Samariæ et decem tribuum, tam pauci relinquentur Israelitæ, quam pauci relinquuntur racemi in vinea post vindemiam, et quam paucæ reliquuntur olivæ in olea, dum ea excutitur. Sic allegorice multi sunt vocati, pauci electi et salvandi.

XX. Cap. XVIII, vers. 4. « Quiescam et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis, » *q. d.* Ego Deus clare contemplabor, quasi in luce meridiana, stragem Ægyptiorum : eroque serenus in pace et refrigerio, cum ipsos uret sol et æstus excidii.

XXI. Vers. 5. « Ante messem enim totus efflo ruit, et immatura perfectio germinabit, et præcidentur ramusculi ejus falcibus : et quæ derelicta fuerunt abscindentur et exutientur. Et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terræ, » *q. d* Ægypti florebant, et magnam quasi messem opum et gloriæ promittebant; sed quasi fructos præcoces ab Assyriis sunt excisi, nec ad maturitatem pervenerunt.

XXII. Cap. XXII, vers. 17. « Ecce Dominus asportari te (o Sobna) faciet (in Babylonem,) sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sublevabit te, » *q. d.* Tam facile quam amictus et vestis attollitur et effertur, tollet et efferet te ex Judæa Deus.

XXIII. Vers. 18. « Coronans coronabit te tribulatione : quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam. » Sensus patet.

XXIV. Cap. XXIV, vers. 2. « Et erit sicut populus, sic sacerdos : et sicut servus, sic dominus ejus : sicut ancilla, sic domina ejus : sicut emens sic ille qui vendit, » *q. d.* Excidium orbis erit universale et commune, nec discernet servum vel ancillam ab hero vel hera, sed omnes quasi pares pari clade involvet.

XXV. Vers. 20. « Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat, » *q. d.* Tanto terræ motu concutietur terra, ut tota a fundamentis convelli et everti videatur, idque propter scelera, quæ incolæ ejus in ea perpetrarunt.

XXVI. Vers. 23. « Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, » *q. d.* Sol et luna obtenebrescent, itaque quasi pallescere, et pudore suffundi videbuntur ob scelera incolarum terræ, quæ in die judicii Deus toti orbi patefaciet, et puniet. Unde præcessit vers. 22 : « Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcere, et post multos dies visitabuntur, » *q. d.* Scelerati colligati quasi in fascem projiciantur in ignem gehennæ, ut in eo jugiter claudantur, et ardeant : nam « post multos dies visitabuntur, » id est punientur per omnia sæcula in æternum.

XXVII. Cap. XXV, vers. 5. « Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis : et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies, » *q. d.* Sicut nubes æstuans torret vineas, ita Christus in die judicii exuret omnes impiorum delicias, quibus ipsi se oblectabant.

XXVIII. Vers. 10. « Triturabitur Moab sub eo (Deo) sicuti teruntur paleæ in plaustro. Et extendet manus suas sub eo sicut extendit natans ad natandum. » *q. d.* Dæmones, omnesque impii ita a Christo vindice calcabuntur, ut dent speciem hominis plane victi et desperati, qualis est species naufragi in naufragio natantis.

XXIX. Cap. XXVIII, vers. 2. « Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis; turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam, » *q. d.* Deus fortiter sternet per Assyrios agros Samariæ sicut grando, turbo et fluvius exundans solent sternere sata læta, boumque labores.

XXX. Vers. 24. « Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam? Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret git, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem? Et erudiet illum in judicio : Deus suus docebit illum, » *q. d.* Impii dicunt : Non est Deus; quia ipse sæpe scelera dissimulat, nec statim ea punit. Illisce respondeo : Sicut agricola non semper arat, sed jam arat, jam serit, jam metit, jam triturat, et quodlibet agit suo tempore : sic et Deus suas habet opportunitates, et scit quando dissimulare, quando punire debeat. Deus enim agit, non satagit, nec tumultuatur; sed tempora novit, et opportunitates rei gerendæ.

XXXI. Cap. XXIX, vers. 5 et 7. « Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te : et sicut favilla pertransiens : et sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, » *q. d.* Hostes qui vastaverunt Jerusalem, conterentur, et evanescent instar pulveris, favillæ et somnii, unde subdit :

XXXII. « Et sicut somniat esuriens, et comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus : et sicut somniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit; et anima ejus vacua est : sic erit multitudo omnium gentium, qui dimicaverunt contra montem Sion. »

XXXIII. Cap. XXXI, vers. 4. « Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit : sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion. »

XXXIV. Vers. 5. « Sicut aves volantes » protegunt pullos suos, pugnantque pro eis rostro et alis contra accipitrem : « sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans. »

XXXV. Cap. XXXII, vers. 2. « Et erit vir » sub umbra et alis pii regis Ezechiæ absconditus et protectus ita securus, « sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, et umbra petræ prominentis in terra deserta. »

XXXVI. Cap. XXXVIII, vers. 12. « Generatio mea (ætas vitæ meæ) ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum. »

« Præcisa est velut a texente vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me : quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea. »

XXXVII. Vers. 14. « Sicut pullus hirundinis, sic clamabo : meditabor, » id est, meditabundus gemam, « ut columba. »

XXXVIII. Cap. XL, vers. 11. « Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. » Pastor hic est Christus, agni Christiani, fœtæ, sive gravidæ, quæ pariunt agnos, sunt Apostoli virique Apostolici : hos omnes pascit, portat et dirigit Christus.

XXXIX. Vers. 12. « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi, » *q. d.* Deus tam potens est, ut cœlum et terram tribus digitis sustineat; ac tam sapiens, ut nullus ei consilium dare possit, quin imo omnes sapientes ab eo suam sapientiam et consilium accipiant et emendicent.

XL. Vers. 15. « Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt, » si cum Dei magnitudine et majestate immensa conferuntur : « ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum, » si illud Deo pro ejus excellentia et dignitate offerendum

sit. « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. »

XLI. Vers. 22. « Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ, qui extendit velut nihilum cœlos. »

XLII. Vers. 23. « Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, judices terræ velut inane fecit. »

XLIII. Vers. 26. « Qui eduxit in numero militiam eorum (astrorum et cæterorum creatorum), et omnes ex nomine vocat. »

XLIV. Vers. 27. « Quare dicis, Jacob : Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo judicium meum transivit? numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ : non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. »

XLV. Vers. 29. « Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat. »

XLVI. Vers. 30 et 31. « Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent : qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ : current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient. »

XLVII. Cap. XLI, vers. 14 et 15. « Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel : ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel. » Israelitas abjectos comparat vermi et mortuis. « Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia; triturabis montes, et comminues : et colles quasi pulverem pones : ventilabis eos : et ventus tollet, et turbo dispergetet eos : et tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis. » Israelem a Deo adjutum et roboratum comparat plaustris terentibus segetes, item plaustris, quæ serratis dentibus armata, obvia quæque secant.

XLVIII. Cap. XLIII, vers. 2. « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, » *q. d.* In mediis periculis, angustiis et tormentis adero tibi, teque tutabor et protegam. « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. » Sicut enim nubes et nebulæ a sole ita dissipantur, delentur et evanescunt, ut nullum earum vestigium supersit : ita et Deus condonando peccata, ea plane delet et abolet, ut nihil eorum supersit.

XLIX. Cap. XLVI, vers. 3. Audite me, domus Jacob, etc., qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, » *q. d.* Quos quasi mater pario, formo, educo et foveo. « Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo, » *q. d.* Ab utero usque ad ultimum vitæ vos ego tueor, rego et curo.

L. Cap. XLVIII, vers. 18. « Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen (copiosum et redundans) pax tua, et justitia tua (ingens) sicut gurgites maris, et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui uti lapilli ejus, non interisset. »

LI. Cap. XLIX, vers. 15. « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos? ego sterilis et non pariens. » Ecclesiam Gentium comparat mulieri prius sterili, postea fecundæ.

LII. Vers. 22. « Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te et pulverem pedum tuorum lingent. » Eidem Ecclesiæ tam fausta et augusta pollicetur Deus.

LIII. Cap. L, vers. 9. « Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. » Hostes Christi ita perdendos asserit, ut vestis atteritur et exeditur a tinea.

LIV. Cap. LI, vers. 3. « Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus; et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. » Ecclesiæ gloriam et delicias comparat paradiso terrestri.

LV. Vers. 6. « Cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt, » per ignem conflagrationis in fine mundi : « salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. »

LVI. Vers. 8. « Sicut vestimentum, sic comedet eos (homines) vermis; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea : salus autem mea in sempiternum erit. »

LVII. Vers. 12. « Ego, ego, ipse consolabor vos : quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? »

LVIII. Cap. LIII, vers. 6. « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Christum patientem comparat agno, et ovi quæ ducitur ad lanienam.

LIX. Cap. LIV, vers. 9. « Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram : sic juravi ut non irascar tibi (o Ecclesia), et non increpem te. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet a te, » *q. d.* Sicut cum Noe inii fœdus æternum de prohibendo deinceps diluvio : sic tecum, o Ecclesia, novum fœdus æternum in eo, quod nunquam derelinquam te, nec sinam te ab hostibus obrui.

LX. Cap. LV, vers. 9. « Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. »

LXI. « Et quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, etc. : sic erit verbum meum, etc., non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui. »

LXII. Cap. LIX, vers. 9. « Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ : splendorem, et in tenebris ambulavimus. » Lux sunt prospera, tenebræ adversa. « Palpavimus sicut cæci parietem : impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. »

LXIII. « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. »

LXIV. Cap. LXII, vers. 1. « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam » orare, et obsecrare Deum, « donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. » Splendor et lampas Sionis, id est Ecclesiæ, est Salvator Jesus : pro illius ergo ortu et adventu assidue oravit Isaias et Prophetæ.

LXV. Cap. LXVI, vers. 3. « Qui immolat bovem, quasi qui interficit virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. » Judæorum impiorum victimas comparat Deus mactationi hominis, canis et suis, imo idolothytis.

LXVI. Vers. 15. « Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem in flamma ignis, » præsertim conflagrationis mundi : nam Christo veniente ad judicium ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Unde sequitur :

LXVII. Vers. 18. « Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum, » supple, acriter puniam. Nam venio ut congregem opera, et operantes impie cum omnibus gentibus et linguis : et venient, et videbunt gloriam meam, » puta potentem et acrem meam justitiam et vindictam in impios in die judicii.

LXVIII. Vers. 19. « Et ponam in eis signum, » tum signum crucis, tum signa Spiritus Sancti, quibus Apostoli signati sunt in Pentecoste. « Et mittam ex eis qui salvati fuerint ad Gentes. »

LXIX. Vers. 20. « Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lecticis, etc. » *q. d.* Tam facile, læte et alacriter venient Gentes ad Ecclesiam, ac si equis et lecticis veherentur. Adde, Evangelium esse vehiculum quo nos ad cœlum vehit Christus.

LXX. Vers. 22. « Sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus : sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. » Significat Ecclesiæ per Christum tum innovationem, tum perpetuitatem.

EX JEREMIA.

I. Cap. I, vers. 18. « Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram, » *q. d.* Faciam te, o Jeremia, fortem, ut sis quasi urbs inexpugnabilis, quasi columna immobilis, quasi murus æreus, omnium Judæorum maledictis impenetrabilis et invincibilis.

II. Cap. II, vers. 11. « Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii : populus vero meus mutavit gloriam suam (Dei sui : Deus enim est Israelis gloria) in idolum. »

Vers. 12. « Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. » Idola comparat cisternis rimosis et vacuis, quæ opem et aquam sitienti præbere nequeunt.

III. Vers. 20. « In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris, meretrix, » colendo et adorando idola.

IV. Vers. 22. « Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me. » *q. d.* Tantæ ac tam pertinaces sunt in te idololatriæ et scelerum maculæ, nullo nitro, nullo sapone elui possint.

V. Vers. 26. « Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur : sic confusi sunt domus Israel, etc., dicentes ligno : Pater meus es tu; et lapidi : Tu me genuisti. »

VI. Vers. 30. « Quasi leo vastator generatio vestra, » *q. d.* Vestri cives sæviunt in Prophetas, sicut leo sævit in transeuntes.

VII. Vers. 32. « Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. »

VIII. Cap. IV, vers. 11. « Ventus urens in viis quæ sunt in deserto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum et ad purgandum, » *q. d.* Chaldæus hostis imminet, qui quasi ventus urens non ventilabit et purgabit, sed concremabit Jerusalem et templum : unde subdit de eodem :

IX. Vers. 13. « Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus : velociores aquilis equi illius : væ nobis quoniam vastati sumus.

X. Vers. 31. « Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ : Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos, » *q. d.* Jerusalem videns suos filios et cives a Chaldæis trucidari, instar puerperæ ex dolore partus emorientis, dolore deficiet et corruet.

XI. Cap. V, vers. 27. « Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo, » *q. d.* Sicut aucupes decipiunt aves, captasque mittunt in caveam, sive decipulam, ita Judæorum domus plenæ sunt opibus per fraudes et dolos partis.

XII. Cap. VI, vers. 7. « Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic (Jerusalem) frigidam fecit malitiam suam, » *q. d.* Sicut aqua frigore congelaciatur in crystallum, sic cor Judæorum sua ma-

lignitate obduruit quasi lapis. « Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens, » *q. d.* Zelo æstuo, non possum me cohibere, quin eis Domini furorem et excidium denuntiem.

XIII. Cap. XVII, vers. 5. « Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum : sed habitabit in terra salsuginis, et inhabitabili, » *q. d.* Sterilis et inanis est spes defixa in hominem, spes vero in Deo est solida et fœcunda. Unde subdit :

XIV. Vers. 7. « Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. » Sperantem in Deo comparat arbori humectæ, frondenti semper et fructificanti.

XV. Cap. XXIII, vers. 29. « Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? » *q. d.* Verba hominum frigida sunt et evanida : at verba Prophetarum spiritu Dei animata, ignita sunt et fortia, ut instar mallei saxea hominum corda confringant, et confracta igniant.

XVI. Cap. XXVI, vers. 18. « Sion quasi ager arabitur : et Jerusalem in acervum lapidum erit : et mons domus in excelsa sylvarum, » *q. d.* Sion et mons templi ita vastabitur, ut ex urbe fiat sylva, et ager arabilis.

XVII. Cap. XXXIII, vers. 22. « Sicut enumerari non possunt stellæ cœli, et metiri arena maris : sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos, » ut scilicet præ multitudine numerari nequeant.

XVIII. Cap. XXXIV, vers. 17. « Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo (ut septimo anno remissionis, liberos dimitteretis servos vestros, juxta legem *Exodi* XXI, 2.) Hac de causa, « Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem, » *q. d.* Ego pariter vos a meo imperio liberos dimittam, tradamque gladio, fami et pesti.

XIX. Cap. XXXV, vers. 5. « Posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices : et dixi ad eos : Bibite vinum. Qui responderunt : Non bibemus vinum : quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens : Non bibetis vinum, etc. »

Vers. 13. « Numquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? » *q. d.* Filii Rechab obediunt patri in re libera et dura : at vos Judæi in re facili et necessaria, ut scilicet me colatis, non idola, obedire non vultis. Idcirco vobis exitium intento. « Domui autem Rechabitarum hæc dicit Dominus, etc. Non deficiet vir de stirpe Jonadab, filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. »

XX. Cap. XLVI, vers. 7. « Quis est iste (Pharao), qui quasi flumen ascendit : et veluti fluviorum, intumescunt gurgites ejus? » Cassiodorus § Pharaonis comparat flumini tumido et exundanti, quod vicinis ingentem stragem minatur.

XXI. Cap. LI, vers. 33. « Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ ejus : adhuc modicum, et veniet tempus messionis ejus, » *q. d.* Babylon est quasi area, in qua mox cives et gentes, quasi segetes in messe collectas et constipatas, triturabo et affligam, partem occidendo, partem ventilando, et in omnem plagam dispergendo.

EX THRENIS.

I. Cap. I, vers. 1. « Quomodo sedet sola civitas (Jerusalem, allegorice Ecclesia afflicta, tropologice anima pœnitens) plena populo : facta est quasi vidua domina Gentium : princeps provinciarum facta est sub tributo. »

II. Cap. II, vers. 1. « Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion : projecit de cœlo in terram (de summo culmine felicitatis et gloriæ, ad imam voraginem miseriæ et ignominiæ) « inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum » (id est arcæ et propitiatorii) « in die furoris sui, » *q. d.* Quomodo Deus permisit vastari, non tantum urbem, sed et templum suum? unde subdit :

Vers. 7. « Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, » id est, sanctum suum templum male a Chaldæis tractari et comburi permisit.

III. Cap. III, vers. 5. « Ædificavit in gyro meo (vallum ærumnarum et angorum, *q. d.* Deus undique afflictionibus me obvallavit), et circumdedit me felle, et labore. »

IV. Vers. 6. « In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. »

V. Vers. 10. « Ursus insidians factus est mihi; leo in absconditis. »

VI. Vers. 12. « Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, » puta, per sagittas et plagas suas, intima mea confixit.

VII. Vers. 16. « Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere, » dedit mihi manducandum panem cinereum, durum et lapidosum, qui dentes meos confringit.

VIII. Cap. IV, vers. 1. « Quomodo obscuratum est aurum (quo templum erat obductum), mutatus est color optimus » in ignis, quo combustum est, fuliginem, « dispersi sunt lapides sanctuarii (sancti templi) in capite omnium plateārum? »

IX. Vers. 2. « Filii Sion inclyti, et amicti auro primo : quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? » *q. d.* Juvenes Judæorum olim nobiles et gloriosi, jam facti sunt viles et inglorii : olim erant vasa aurea, nunc testea et lutea.

X. Vers. 3. « Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos : filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto, » *q. d.* Feræ et monstra, licet immania, tamen catulos suos lactant : at tanta est Hierosolymæ fames, afflictio et perturbatio, ut matres Sionides filios fame hiantes deserant, et emori sinant, instar struthionis, avis stolidæ et crudelis, quæ sua ova et pullos derelinquit.

XI. Vers. 5. « Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis : qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, » *q. d.* Qui vestiebantur et dormiebant in vestibus croceis et sericis, jam dormire coguntur in sterquilinio et stercore se operire.

XII. Vers. 19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli : super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. »

EX EZECHIELE.

I. Cap. VII, vers. 16. « Salvabuntur qui fugerint ex eis (Judæis vastatis a Chaldæis) : et erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua. »

II. Cap. XI, vers. 19. « Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum : ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea : et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. » Promittit et sancit Deus hic novum testamentum, in quo per Christi gratiam aufertur a Christianis cor lapideum, et datur cor carneum, id est molle, flexibile, obediens ad omnem Dei nutum.

III. Cap. XIII, vers. 4. « Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui, Israel, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini, ut vos per preces Deo, pro Chaldæis pugnanti, opponeretis, ejusque iram mitigaretis : « vident vana, et divinant mendacium. »

IV. Vers. 9. « Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium : in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur. » *q. d.* Non redibunt e captivitate, nec in catalogo redeuntium et viventium scribentur.

V. Vers. 10. « Eo quod deceperint populum meum, dicentes : Pax, et non est pax : et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit : erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem, » *q. d.* Pseudoprophetæ temere, et sine fundamento prophetant Judæis prospera; sed hæc eorum falsa oracula, instar parietis luto absque paleis illiti, imbre, vento et grandine divinæ vindictæ prosternentur.

VI. Vers. 18. « Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus : et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. » Hi sunt, qui peccatoribus in peccatis adulantur, eaque excusant et fovent, metum Dei et divinæ vindictæ hominibus eximendo. Unde Deus, vers. 20, de pulvillis hisce dicit : « Dirumpam eos de brachiis vestris : et dirumpam cervicalia vestra. »

VII. Cap. XXXIV, vers. 2. « Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. »

VIII. Vers. 10. « Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum; ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum. In pascuis uberrimis pascam eas. Quod perierat requiram, et quod abjectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam. »

IX. Vers. 23. « Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David (puta Christum filium Davidis) : ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum. »

EX DANIELE.

I. Cap. XII, vers. 3. « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

ADAGIA ET GNOMÆ.

EX ISAIA.

I. Cap. I, vers. 22. « Argentum tuum versum est in scoriam : vinum tuum mixtum est aqua, » *q. d.* Pura Dei religio in te, o Jerusalem, versa est in impuras superstitiones, atque justitia tua mixta est cum avaritia et injustitia.

II. Vers. 25. « Excoquam ad purum scoriam

tuam, et auferam omne stannum tuum, » *q. d.* igne tribulationum, puta vastitate Chaldæorum, abstergam a te idololatriam, injustitiam, omnesque peccatorum sordes.

III. Cap. II, vers. 4. « Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, » *q. d.* Christiani bella in pacem, et instrumenta belli in instrumenta agriculturæ convertent.

IV. Cap. III, vers. 7. « Non sum medicus, » *q. d.* Non possum mederi tantis malis et cladibus reipublicæ.

V. Vers. 9. « Agnitio vultus eorum respondit eis, » *q. d.* Vultus loquitur scelera eorum, ac, si rogetur de causa tantarum cladium, respondebit causam veram esse, scelera Judæorum.

VI. Cap. V, vers. 14. « Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. »

VII. Vers. 18. « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum, » *q. d.* Væ qui peccatum peccato additis, et implectitis quasi funem, quo trahamini ad tartara.

VIII. Vers. 20. « Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. »

IX. Cap. VII, vers. 4. « Noli timere (o Achaz), et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ. » Duæ caudæ titionum fumigantium vocantur Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Samariæ, eo quod fumos minarum spirarent, et intentarent Judæis; sed fumos tantum, non ignes, id est vanas sine viribus iras. Nam ambo mox evertendi erant a rege Assyriorum, unde vocantur caudæ.

X. Cap. VIII, vers. 16. « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis, » id est, conscribe et consigna hæc oracula pro futuris meis discipulis, puta Christianis, qui eis fidem habituri sunt.

XI. Vers. 19. « Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis? » *q. d.* Quæ est ista stoliditas, ut viventes et sapientes homines a mortuis et inanimis idolis veritatem et consilium in rebus dubiis quærant et scisciteutur?

XII. Vers. 20. « Ad legem magis, et ad testimonium, » *q. d.* Consulite potius legem Dei, Deumque in testimonio, id est in arca et propitiatorio, residentem.

XIII. « Non erit eis matutina lux, » *q. d.* Nil eis erit prosperum, nil lætum, nil lucidum; sed omnia obscura, tristia, adversa.

XIV. Cap. IX, vers. 2. « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, » *q. d.* Gentilibus degentibus in tenebris infidelitatis, in statu peccati et damnationis, per prædicationem Evangelii oborta est lux fidei, gratiæ et salutis.

XV. Vers. 8. « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel, » *q. d.* Quod Dominus promisit Jacobo, sive Israeli, hoc reipsa præstitit, et ut fieret effecit.

XVI. Vers. 10. « Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus : sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus, » *q. d.* Hostes diruerunt et incenderunt domos nostras lateritias et sycomorinas; parvi id facimus; nam pro eis meliores, puta lapideas et cedrinas, ædificabimus.

XVII. Vers. 14. « Disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrenantem, » id est, principem, Prophetam, nobiles et plebem.

XVIII. Vers. 20. « Unusquisque carnem brachii sui vorabit, » *q. d.* Quisque suum proximum et cognatum, carne et sanguine ita conjunctum, ac si esset brachium ejus, occidet et lacerabit tanto furore, ac si eum vellet devorare.

XIX. Cap. X, vers. 5. « Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea, » *q. d.* Væ Assyriis, qui sunt virga et baculus furoris mei, per quorum manum indignationem meam exero et exerceo; nam peracta hac indignatione, virgam et baculum in ignem projiciam, hoc est, Assyrios ipsos disperdam. Ergo væ eis.

XX. Cap. XI, vers. 5. « Erit justitia cingulum lumborum ejus : et fides cinctorium renum ejus, » *q. d.* Justitia et fidelitas ita cingent et ornabunt Christum, ac si ei cohærerent instar cinguli.

XXI. Cap. XIII, vers. 12. « Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo, » *q. d.* Pluris facient Persæ vitam Babyloniorum, quam eorum aurum et opes; unde eam illis adiment, nec pro ea aurum inclytum acceptabunt; quia malent eos occidere, quam eorum aurum possidere.

Vers. 21. « Habitabunt ibi (in Babylone jam eversa et excisa) struthiones, et pilosi saltabunt ibi : et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis, » *q. d.* Ita desolabitur Babylon, ut deficientibus hominibus qui eam incolant, habitent in ea ululæ, struthiones, dracones, aliæque feræ.

XXII. Cap. XIV, vers. 11. « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes, » *q. d.* Cadaver tuum operietur vermibus, qui te rodent, et usque ad ossa depascentur, o Baltasar rex Babylonis.

Vers. 32. « Et quid respondebitur nuntiis gentis » inquirentibus, unde tanta victoria Judæorum de Philistinis? utique respondebitur causam victoriæ esse; « quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus. »

XXIII. Cap. XV, vers. 5. « Vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem, » *q. d.* Vectes, id est, fortes, Moab in excidio ejus fugient usque ad Segor, quæ olim fuit dives, potens et lasciviens instar vitulæ triennis.

Vers. 7. « Ad torrentem salicum ducent eos, »

q. d. Ad Euphratem qui abundat salicibus, id est, in Babylonem Chaldæi captivos ducent Moabitas.

XXIV. Cap. XVI, vers. 3. « Pone quasi noctem umbram tuam in meridie, » *q. d.* Refrigera et solare vastatos et afflictos : æstus enim meridiei symbolum est afflictionis, umbra et nox refrigerii et consolationis.

XXV. Vers. 6. « Arrogantia ejus, et indignatio ejus (Moab), plusquam fortitudo ejus, » *q. d.* Jactavit se plus posse quam reipsa posset.

XXVI. Vers. 11. « Super hoc (super clade Moab) venter meus ad Moab quasi cithara sonabit. » *q. d.* Super clade Moab intime doleo et compatior, ut præ compassione viscera mea instar citharæ distendi et resonare videantur, vel potius audiantur.

XXVII. Cap. XVII, vers. 10. « Plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis. » Plantatio fidelis est, quæ fideliter satisfacit colono, eique exspectatos reddit fructus : germen alienum, est fallax et spurium.

Vers. 11. « In die plantationis tuæ labrusca, » *q. d.* Cum plantaveris vineam, invenies non vineam, sed « labruscam; et mane semen tuum florebit : ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter, » *q. d.* Vinea tua, agerque ante tempus florebit, ac proinde præcox erit, nec maturescet.

XXVIII. Cap. XIX, vers. 11. « Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum, » *q. d.* Vos vestra adulatione decepistis Pharaonem, persuasistis enim ei, quod ob suam sapientiam et antiquitatem, firmus consisteret, et esset inexpugnabilis; cum ecce a Chaldæis debellatus et prostratus sit. Ægyptii enim ob sapientiam a scriptoribus Ethnicis vocantur eruditi (sicut Judæi superstitiosi), et ipsa Ægyptus dicta est mater artium.

XXIX. Cap. XXII, vers. 12. « Vocabit Dominus in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci : et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus, et bibamus : cras enim moriemur. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus. » Adagium hoc clarum est, et hodie crebro illud a voluptuariis occini audimus.

XXX. Cap. XXIII, vers. 8. « Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ. »

XXXI. Vers. 16. « Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, » *q. d.* Uti meretrix omnes illecebras adhibet, ut amasios ad se alliciat : ita Tyrus omnia adhibebit invitamenta, ut mercatores in sui excidio dilapsos ad se revocet.

XXXII. Cap. XXIV, vers. 8. « Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum, attrita est civitas vanitatis. » Adagium hoc audiant et ruminent epulones.

XXXIII. Vers. 17. « Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit : Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, » *q. d.* Qui unum periculum et cladem effugerit, incidet in aliam.

XXXIV. Cap. XXVI, vers. 10. « In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. » Terra sanctorum est Ecclesia, præsertim clerus. Unde S. Bernardus *in declamation.* : « In clero, ait, quasi in cœlo existens iniqua gessit : ideo inventa est iniquitas ejus ad odium, nec remittetur. »

XXXV. Vers. 18. « Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ, *q. d.* Quia non fecimus opera salutis, tum nostræ, tum proximorum, ideo non ceciderunt a sua superbia et malitia incolæ terræ. Dicant hoc Pastores, etiam sancti.

Cap. XXVII, vers. 9. « Iste omnis fructus ut auferatur peccatum ejus. »

XXXVI. Cap. XXVIII, vers. 15. « Dixistis : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus, » *q. d.* Sic vivitis, et sic secure futuram Dei ultionem ridetis, ut ipsa vestra securitate clamare videamini : Percussimus fœdus cum morte, etc., hoc est, securi sumus a morte et inferno, ac si cum eis fœdus iniissemus; hinc nullas Prophetarum, ea nobis intentantium, minas timemus.

Vers. 17. « Idcirco, etc., subvertet grando spem mendacii : et protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem; et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. »

XXXVII. Cap. XXIX, vers. 4. « Humiliaberis (o Ariel, o Jerusalem), de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum : et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit, » *q. d.* Ad terram prosterneris; indeque tenui et lugubri voce mussitabis, et gemes. Cessabit, o Ariel, leoninus tuus rugitus, ac desinet in mussitationem omnium timidissimam. Magnæ enim et abjectæ timiditatis et depressionis animi argumentum est, vox humilis, submissa et mussitans.

XXXVIII. Vers. 10. « Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas, etc. Et erit vobis visio omnium sicut verba

libri signati, quem cum legerint scienti litteras, dicent : Lege istum : et respondebit : Non possum, signatus est enim. » Minatur Deus Judæis excæcationem, ut non intelligant litteras sacras, nec oracula Prophetarum. Unde subdit :

Vers. 14. « Peribit sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. »

XXXIX. Vers. 15. « Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis (abscondere putetis) consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos? et quis novit nos? Perversa est hæc vestra cogitatio : quasi lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo : Non fecisti me : et figmentum dicat fictori suo : Non intelligis. » Adagia hæc sunt politicorum et atheorum.

XL. Cap. XXX, vers. 3. « Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam, » *q. d.* Spes, quam in hominibus, puta Ægyptiis, ponitis, vos fallet et confundet : spem ergo ponite in Deo, non in homine.

LXI. Vers. 10. « Qui dicunt videntibus : Nolite videre : et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. » Voces sunt libertinorum.

XLII. Vers. 13. « Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio (muri fissi) cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus, » *q. d.* Sicut murus interruptus, et minans ruinam, subito cadit, et ex insperato sub eo degentes obruit : ita et vos, o Judæi, qui Ægypto quasi muro ruinoso incumbitis, eo ruente opprimemini. Unde subdit. « Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione prævalida. »

XLIII. Vers. 15. « In silentio et in spe erit fortitudo vestra, » *q. d.* Si, o Judæi, quiescatis in Judæa, ac speretis in Deo, ipse fortiter vos proteget, ac a Chaldæis tutabitur.

XLIV. Vers. 16. « Et dixistis : Nequaquam, sed ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et super veloces ascendemus : ideo velociores erunt, qui persequentur vos, etc. Donec relinquamini quasi malus in vertice montis, et quasi signum » naufragii et syrtium, ut eas præternavigantes hoc signo moniti devitent. *q. d.* O Judæi, si ad Ægyptios fugiatis, cum ejs occidemini, tantumque ex vobis pauci superstites relinquentur, qui sint quasi signum divinæ vindictæ toti orbi, ut eam homines hoc exemplo moniti caveant, et sapiant.

XLV. Vers. 20. « Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem, » id est, paucam et modicam, *q. d.* Affliget vos fame et siti. Panis enim arctus, sive angoris et angustiæ; atque aqua brevis, sive tribulationis, ut vertunt alii, id est, parca et putida, cibus et potus est eorum, qui carcere includuntur, ibique macerantur et castigantur.

XLVI. Vers. 21. « Aures tuæ audient verbum (Dei, quasi prædagogi) post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea. »

XLVII. Vers. 26. « Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum. Nimirum post diem judicii, mundique innovationem.

XLVIII. Cap. XXXI, vers. 3. « Ægyptus, homo, et non Deus : et equi eorum, caro, et non spiritus. » *q. d.* Vana est ergo et fragilis spes vestra, ô Judæi, et confugium ad Ægyptios.

XLIX. Cap. XXXII, vers. 6. « Stultus fatua loquetur. »

L. Vers. 7. « Fraudulenti vasa pessima sunt. »

LI. Vers. 8. « Princeps ea quæ digna sunt principe, cogitabit. »

LII. Cap. XXX, vers. 1. « Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis : cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. »

LIII. Vers. 6. « Et erit fides in temporibus tuis : divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus. » *q. d.* Tempore Messiæ fideliter Deus præstabit bona, quæ per eum promisit, nimirum opes spirituales, puta sapientiam et scientiam salutis, ac timorem Domini.

LIV. Vers. 11. « Concipietis ardorem, parietis stipulam : spiritus vester ut ignis vorabit vos, » *q. d.* Vanæ erunt spes vestræ, et conatus vestri, irrito spiritu et molimine vestro peribitis, et comburemini, quasi spinæ collectæ, ut vertamini in cineres.

LV. Vers. 14. « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » Adagium hoc damnatis nimis clarum est, et voluptuariis mox damnandis nimis clarum erit.

LVI. Cap. XXXVI, vers. 6. « Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, id est, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam : sic Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo. »

LVII. Vers. 12. « Misit me dominus meus, ut loquerer, etc., ad viros, qui sedent in muro, ut » præ fame « comedant stercora sua et » præ siti « bibant urinam pedum suorum. »

LVIII. Cap. XXXVII, vers. 3. « Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi, » *q. d.* Molimur, et parturimus bellum contra Sennacherib; sed illud eniti et parere non possumus.

LIX. Vers. 26. « Et factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum, » *q. d.* Deus justo suo judicio permisit, et fecit, ut colles, id est, principes, qui ante inter se pugnabant, eradicarentur, et exscinderentur multæ urbes munitæ.

LX. Vers. 29. « Ponam circulum in naribus

tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti, » *q. d.* Ego Deus te, ô Sennacherib, quasi bubalum circulo in nares adacto circumagam, et quasi equum freno in os immisso reflectam, et ex Judæa reducam, id est, redire cogam in Assyriam. « Zelus Domini exercituum » erga populum suum, ut eum salvet, « faciet istud. »

LXI. Cap. XXXVIII, vers. 1. « Dispone domui tuæ (o Ezechia rex), quia morieris tu, et non vives. »

LXII. Vers. 17. « Ecce in pace amaritudo mea amarissima, » *q. d.* Ego Ezechias ægrotans in flore ætatis et regni mei, patior amarissima.

LXIII. Vers. 18. « Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam, » *q. d.* Non mortui, sed viventes exspectant, ut promissum Messiam mihi meoque parenti Davidi, vere præstes, faciasque eum ex semine meo nasci, ut ita laudemus publice tuam fidelitatem et misericordiam.

LXIV. Cap. XXXIX, vers. 8. « Bonum verbum Domini quod locutus est, » de rapina thesaurorum meorum; « fiat tantum pax et veritas in diebus meis, » *q. d.* Tantum peto, ut vivam incolumis, quod mihi Deus promisit; me vita functo, Deus cladem et rapinam hanc immittat.

LXV. Cap. XL, vers. 2. « Loquimini ad cor (id est, blandimini) Jerusalem, et advocate eum, quoniam completa est malitia (id est, miseria et afflictio) ejus : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. »

LXVI. Cap. XLI, vers. 23. « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos : » Divinatio enim est testimonium divinitatis, ait Tertullianus.

LXVII. Vers. 24. « Ecce vos, » o idola, o dii Gentium, « estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est : abominatio est qui elegit vos. »

LXVIII. Cap. XLII, vers. 8. « Ego Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. »

LXIX. Vers. 18. « Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? »

LXX. Cap. XLII, vers. 22. « Ipse autem populus direptus et vastatus, laqueus juvenum omnes, » *q. d.* Israel ita Deo dilectus, ob sua peccata fecit se prædam tum dæmonibus, tum Romanis; unde in juvenum fortissimorum laqueum incidit, et in carcere detinetur.

Vers. 24. « Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? »

LXXI. Cap. XLIII, vers. 24. « Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. » Peccator quasi cogit Deum servire, id est, obsequi, et concursu suo generali cooperari suis concupiscentiis et peccatis. Rursum laborat, et quasi servit Deus in tot tantisque hominum peccatis tum sufferendis, tum corrigendis. Multi enim peccatis suis patientiam Dei quotidie fatigant.

LXXII. Cap. XLV, vers. 9. « Numquid dicet lutum figulo suo : Quid facis, et opus tuum absque manibus est? Væ qui dicit patri, Quid generas? et mulieri, Quid parturis? » *q. d.* Sic nec homines Deo, ob datam sibi ab eo sortem, esto ea sit vilis, pauper et misera, obstrepere debent, vel obmurmurare. Ipse enim nobis est pater et mater: ipse figulus, nos lutum.

LXXIII. Vers. 15. « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. »

LXXIV. Vers. 24. « Mihi curvabitur omne genu, et jurabit (id est, colet me) omnis lingua. »

Vers. 26. « In Domino justificabitur, et laudabitur omne semen Israel. »

LXXV. Cap. XLVI, vers. 13. « Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam, » *q. d.* Ego Deus gloriam meam ostendam in Sione, id est, in Ecclesia; et in Israele, id est, in fidelibus.

LXXVI. Cap. XLVIII, vers. 4. « Scivi quia durus es tu; et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. »

LXXVII. Vers. 6. « Laude mea infrenabo te, ne intereas, » *q. d.* Freno meæ castigationis revocabo te, ne ruas in scelera, et in interitum. Unde subdit : « Ecce excoxi te, sed non (plane et pure) quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. »

LXXVIII. Vers. 22. « Non est pax impiis, dicit Dominus. »

LXXIX. Cap. L, vers. 8. « Juxta est (Deus) qui justificat me (Christum), quis contradicet mihi? »

LXXX. Cap. LI, vers. 9. « Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini, etc. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? » Puta Pharaonem, qui quasi draco, id est, crocodilus, innatabat suis Nili rivis et aggeribus, et quasi balæna in mari rubro insectus est Hebræos. « Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? » Puta maris Rubri, ut transirent ex Ægypto Hebræi. Pari brachio et fortitudine percuties draconem, id est diabolum, et electos tuos per mare hujus seculi salvos deduces in cœlum. Unde sequitur : « Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum. »

LXXXI. Cap. LV, vers. 6. « Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est. »

LXXXII. Cap. LVI, vers. 7. « Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. »

LXXXIII. Cap. LVII, vers. 1. « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat : a facie enim malitiæ collectus est justus. »

LXXXIV. Vers. 13. « Omnes eos (qui sperant

in idolis) auferet ventus, tollet aura : Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum. »

LXXXV. Vers. 17. « Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum : et abscondi a te faciem meam, et indignatus sum : et abiit vagus in via cordis sui. » Pœna ingens irati Dei est quod sinat peccatores vagari, et explere suas concupiscentias ad libitum; ita enim ruunt in omnia scelera, et tandem in gehennam.

LXXXVI. Cap. LVIII, vers. 3. « Quare jejunavimus, et non aspexisti : humiliavimus animas nostras, et nescisti ? » Respondet Deus, datque causam : « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere (jejunando) hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum et saccum et cinerem sternere ? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, etc., frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum. »

LXXXVII. Cap. LIX, vers. 4. « Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem, » *q. d.* Concipiunt nocendi consilia, ut deinde ea pariant et exsequantur ac simplices inique divexent.

LXXXVIII. Vers. 14. « Corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi, » *q. d.* Tota urbs plena est iniquitate et dolis, nullus est veritati et justitiæ locus, nullus aditus.

LXXXIX. Cap. LX, vers. 22. « Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam, » *q. d.* Fidelis præsertim prædicator, plurimos fideles, sibique similes procreabit, uti S. Franciscus humilitate parvulus et minimus, crevit in familiam numerosissimam.

XC. Cap. LXI, vers. 8. « Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto. »

XCI. Vers. 9. « Omnes qui viderint eos (fideles meos), cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. »

XCII. Cap. LXIV, vers. 4. « Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. »

XCIII. Vers. 6. « Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, » scilicet justificationes legis veteris, sive justitiæ quas quæsivimus ex aspersionibus et sacrificiis Aaronicis. Est enim vox Judæorum. Tales quoque erant justitiæ Gentium, quas sibi ob philosophiam, et virtutes morales arrogabant. »

XCIV. Vers. 8. « Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. »

XCV. Vers. 11. « Domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis. Numquid super his continebis te, Domine, tacebis, et affliges nos vehementer ? »

XCVI. Cap. LXV, vers. 2. « Expandi manus meas tota die ad populum incredulum. Qui dicunt : recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es : isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. »

XCVII. Vers. 13. « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis : ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. »

XCVIII. Vers. 23. « Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt (spiritualiter, faciendo fideles et sanctos) in conturbatione : quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. »

XCIX. Cap. LXVI, vers. 2. « Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ? »

C. Vers. 4. « Eligam illusiones eorum : et quæ timebant, adducam eis : quia vocavi, et non erat qui responderet, locutus sum et non audierunt. »

CI. Vers. 6. « Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis, » *q. d.* Videor mihi audire vocem populi ejulantis, ob urbis et templi excidium, ac ex adverso vocem Domini sævientis per ora hostium conclamantium, ac de victoria exultantium, et populo capto insultantium.

CII. Vers. 9. « Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus ? »

CIII. Vers. 10. « Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea, omnes qui diligitis eam, etc. ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus : ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. »

CIV. Vers. 12. « Ecce ego declinabo super eam (Jerusalem, id est, Ecclesiam) quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis : ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. »

Vers. 13. « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. »

CV. Vers. 14. « Ossa vestra quasi herba germinabunt, » *q. d.* Ossa vestra in captivitate Babylonis, et potius peccati ac dæmonis, tabida, sicca et emortua præ tristitia et ærumnis, hac nova libertate et lætitia revirescent et reflorescent, sicut herba in hieme emortua, in vere revirescit et reviviscit.

EX JEREMIA.

I. Cap. II, vers. 16. « Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem, » *q. d.* Ægyptii qui te totum, o Israel, a capite ad pedes sua idololatria et vitiis polluerunt et inquinarunt.

II. Vers. 18. « Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam (Nili)? et quid tibi vis cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis » (Euphratis)? *q. d.* Ut quid cursitas nunc ad Assyrios, nunc ad Ægyptios, ut eorum auxilium implores, eorumque deos colas, qui uti aquam, ita et opem turbidam, tibique tristem et exitialem afferent.

III. Vers. 19. « Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. »

IV. Vers. 20. « A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. »

V. Vers. 25. « Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti, » *q. d.* Parce vanis et noxiis tuis laboribus, quibus pedes tuos nudas, ut per flumina transeas in Ægyptum vel Assyriam; itaque te labore et siti conficis, idque frustra : nec enim illi te juvare, et ab hostibus liberare poterunt. Unde subdit : « Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. »

VI. Cap. III, vers. 1 : « Vulgo dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo (uxor), duxerit virum alterum : numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa, » ut ad virum priorem redire nec possit, nec audeat? « tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus. »

VII. Vers. 3 : « Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis meæ tu es, » *q. d.* Voca me : Vir meus primus, et legitimus sponsus meus ab initio es tu, Domine. Sunt verba Synagogæ. Hanc enim, cum nasceretur in Ægypto, mox sibi per Mosen in Sina copulavit, et in sponsam assumpsit Deus.

VIII. Cap. IV, vers. 2. « Et jurabis : Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia. » Has tres dotes requirit juramentum; *primo*, veritatem, ne jures falsum; *secundo*, judicium, ne temere sed circumspecte, præmeditate et reverenter fiat; *tertio*, justitiam, ne eo promittas vel mineris aliquid injustum.

IX. Vers. 9. « Peribit, » veniente hoste Chaldæo, « cor regis, et cor principum. » Cor symbolum est : *primo*, animi et fortitudinis; *secundo*, consilii et prudentiæ.

X. Vers. 10. « Ecce pervenit gladius usque ad animam. » Ad intima, ut animam, id est vitam, a corpore dividat et discindat.

XI. Vers. 15. « Vox annuntiantis a Dan, et notum facientis idolum de monte Ephraim, » *q. d.* Excubitores ex Dan et Ephraim clamant adventare hostem Chaldæum; vident enim ejus idolum, puta ignem, quem tanquam Deum et belli ducem, castris præferunt Chaldæi.

XII. Vers. 18. « Viæ tuæ, et cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc : ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum, » *q. d.* Mali tui mores accersiverunt tibi hoc fel et absynthium, ipsi gladium hostilem in cor et viscera tua adegerunt. Ecce enim

XIII. Vers. 19. « Ventrem meum, ventrem meum doleo, » *q. d.* Dum in spiritu prævideo clades Judææ a Chaldæis inferendas, ipsum mihi cor et viscera amaritudine et dolore findi rumpique videntur; multo ergo magis idipsum eis continget, qui clades istas reipsa exeipient et sentient.

XIV. Vers. 22. « Quia stultus populus meus me non cognovit : sapientes sunt ut faciant mala, bonum autem facere nescierunt. »

XV. Cap. V, vers. 3. « Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt suscipere disciplinam : induraverunt facies suas supra petram. »

XVI. Vers. 21. « Audi, populo stulte, qui non habes cor : qui habentes oculos, non videtis; et aures, et non auditis. »

XVII. Vers. 30. « Stupor et mirabilia facta sunt in terra : Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus ejus dilexit talia : quid ergo fiet in novissimo ejus? »

XVIII. Cap. VI, vers. 4. « Sanctificate super eam bellum. » Sanctum bellum Judææ indicite, o Chaldæi, sanctum, inquam; quia nocentes et reos, Deique hostes ipsi mactabitis, eosque quasi victimas divinæ justitiæ immolabitis.

XIX. Vers. 6. « Hæc est civitas visitationis. » Visitationi, id est punitioni et excidio, a Deo destinata et devota, quia « omnis calumnia in medio ejus. »

XX. Vers. 13. « A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student : et a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. »

XXI. Vers. 16. « State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis » patrum et patriarcharum vestrorum, « quæ sit via bona, et ambulate in ea. »

XXII. Cap. VII, vers. 4. « Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. »

XXIII. Cap. VIII, vers. 4. « Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem, aversione contentiosa? »

XXIV. Vers. 7. « Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur et hirundo, et ciconia, custodierunt tempus adventus sui : » In vere enim redeunt et nidificant : « populus autem meus non cognovit judicium Domini. »

XXV. Vers. 8. « Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum, » *q. d.* Nostri doctores non tam veritatem et sacram Scripturam, quam sui cerebri figmenta nobis enuntiant.

XXVI. Vers. 11. « Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes : Pax, pax, cum non esset pax. »

XXVII. Vers. 15. « Exspectavimus pacem, et non erat bonum; tempus medelæ, et ecce formido. »

XXVIII. Vers. 22. « Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? » Ilesina Synagogæ et animæ ægræ est pœnitentia; medicus est sacerdos et pastor : sed qui utrumque respuunt, curari nequeunt.

XXIX. Cap. IX, vers. 4. « Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. » Quocirca « habitatio tua in medio doli, » *q. d.* Habitas, o Jeremia, in urbe tam dolosa, ut videatur esse ipse dolus : dolose enim simulat se colere Deum, cum colat idola; hinc et dolose simulat amicitiam cum proximis, cum eorum machinetur interitum. Unde subdit : « Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est : in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. »

XXX. Vers. 15. « Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum dabo eis aquam fellis. » Fel et absynthium afflictionis et amaritudinis sunt symbola.

XXXI. Vers. 23. « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. » Non speculative, sed practice ut nimirum me colat mihique obediat, agnoscens et sperans meam misericordiam, ac timens meam justitiam.

XXXI. Vers. 26. « Omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde, » *q. d.* Gentes sunt incircumcisæ carne, sed Israel incircumcisus est corde et mente.

XXXIII. Cap. X, vers. 2. « Juxta vias Gentium nolite discere : et a signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, » *q. d.* Nolite timere et colere quasi Deum solem, lunam, stellas, ut Gentes faciunt.

XXXIV. Vers. 7. « Quis non timebit te, o Rex gentium? tuum est enim decus. »

XXXV. Vers. 11. « Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt. »

XXXVI. Vers. 16. « Non est his similis pars (Deus, quem ut suam partem et sortem colit) Jacob : qui enim formavit omnia, ipse est : et Israel virga hæreditatis ejus : Dominus exercituum nomen illi. »

XXXVII. Vers. 19. « Ego autem dixi : Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam. »

XXXVIII. Vers. 23. « Scio, Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos, » *q. d.* Non hominis, sed Dei est, dirigere actus gressusque hominum.

XXXIX. Cap. XI, vers. 15. « Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? » Inducens in templum idola, aliaque ibi scelera perpetrans. « Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? »

XL. Cap. XII, vers. 1. « Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : Verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt? »

XLI. Vers. 3. « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis, » *q. d.* Macta impios quasi victimas, et quasi catharmata et piacula mundi immola eos tuæ justitiæ et vindictæ.

XLII. Cap. XIII, vers. 18. « Dic regi (Joachin) et dominatrici (reginæ) : Humiliamini, sedete : quoniam descendet de capite vestro corona gloriæ vestræ. »

XLIII. Vers. 23. « Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. »

XLIV. Cap. XV, vers. 1. « Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Ejice illos a facie mea, et egrediantur. Quod si dixerint : Quo egrediemur? dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Qui ad mortem (a me destinati sunt, eant) ad mortem : et qui ad gladium, ad gladium : et qui ad famem, ad famem : et qui ad captivitatem, ad captivitatem. »

XLV. Vers. 9. « Occidit ei sol, cum adhuc esset dies, » *q. d.* In plena lætitia et prosperitate, corruit in extremam adversitatem et tristitiam, perinde ac si sol in meridie subito deficeret.

XLVII. Cap. XVII, vers. 1. « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum, » *q. d.* Peccatum Judæorum est indelebile, ac quasi in adamante, puta in corde eorum adamantino, æque ac in aris idolorum ipsorum incisum et insculptum.

XLVII. Vers. 5. « Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem (hominem carneum, non Deum) brachium suum. »

XLVIII. Vers. 9. « Pravum est cor « hominis » et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus, scrutans cor, et probans renes? »

XLIX. Vers. 13. « Exspectatio Israel, Domine : omnes qui te derelinquunt, confundentur : recedentes a te, in terra scribentur (oblivioni tradentur, interibunt, evanescent) : quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium. »

L. Vers. 14. « Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es, » *q. d.* Quoniam tu me salvando felicem et laudabilem efficis.

LI. Vers. 16. « Et ego non sum turbatus, » quasi ovis « te pastorem sequi », et diem hominis (laudem, plausum et gloriam hominum) non desideravi, tu scis. »

LII. Cap. XXII, vers. 22. « Omnes pastores tuos pascet ventus, » *q. d.* Spes vana, quam principes Judæorum ponunt in Ægyptiis, eos inaniter lactat et pascit, ac si esset ventus; nec enim Ægyptii Judæos a Chaldæis liberare poterunt.

LIII. Cap. XXIII, vers. 19. « Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. »

LIV. Cap. XXXI, vers. 2. « Vadet ad requiem suam Israel. » Scilicet e captivitate Babylonica redibit in patriam, ac potius spiritalis Israel, id est fidelis, e captivitate dæmonis vadet ad Ecclesiam, et quietem æternam.

LV. Vers. 3 et 7. « In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans. » Sunt verba Dei ad Israel; unde subdit : « Exultate in lætitia, Jacob, et hinnite contra caput Gentium : personate, et canite, et dicite : Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel, etc. »

Vers. 9. « Factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est. » Loquitur de conversione Israelis, id est Samariæ ad Christum. Samaria enim prima præ aliis gentibus conversa est per Petrum, Joannem et Philippum, *Actor.* VIII.

LVI. Vers. 19. « Postquam convertisti me, egi pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi « peccata mea statumque damnationis in quo versabar, « percussi femur meum, » ex admiratione et dolore.

LVII. Cap. XLV, vers. 2. « Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te, Baruch : Ecce quos ædificavi, ego destruo : et quos plantavi, ego evello, et universam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia? » *q. d.* Tota Jerusalem est in labore et dolore : et tu, o Baruch, solus quæris quietem, omniaque mollia et blanda?

LVIII. Cap. XLVI, vers. 12. « Fortis impegit in fortem, » scilicet Pharao cum Nabuchodonosore conflixit, « et ambo pariter conciderunt. »

LIX. Vers. 17. « Vocate nomen Pharaonis, tumultum adduxit tempus, » *q. d.* Vocate Pharaonem tumultum; quia tempus tumultus, perturbationis et excidii ejus instat.

LX. Cap. XLVII, vers. 5. « Venit calvitium super Gazam. Calvitium, » id est luctus et servitus. Lugentes enim, æque ac servi, solebant decalvari.

LXI. Vers. 6. « O mucro Domini, usquequo non quiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile. »

« Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, etc. ibique condixerit ei? »

LXII. Cap. XLVIII, vers. 9. « Date florem Moab, quia florens egredietur : et civitates ejus desertæ erunt. » Est sarcasmus, *q. d.* Opibus et gloria floret Moab; sed hunc florem carpent Chaldæi, eamque facient desertam.

LXIII. Vers. 10. « Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. Opus Domini » vocat vindictam Domini de Moab. Unde explicans subdit : « Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. »

LXIV. Vers. 17. « Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus? Descende de gloria, et sede in siti, » *q. d.* O Moab, olim domina tenebas sceptrum, et quasi virga percutiebas Judæos; nunc quasi ancilla captiva descende, et sede in terra arida.

LXV. Vers. 28. « Relinquite civitates, et habitate in petra, habitatores Moab : et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis, » *q. d.* Fugite, o Moabitæ, Chaldæos, et exitium vestrarum excidium : fugite, inquam, quasi columbæ timidæ, ad cavernas montium et petrarum; unde subdit :

LXVI. Vers. 43 et 46. « Pavor, et fovea, et laqueus super te, o habitator Moab. » Et, « Væ tibi Moab, periisti, populo Chamos. »

LXVII. Cap. XLIX, vers. 16. « Arrogantia tua decepit te (o Idumæe,) et superbia cordis tui : qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis; cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detrahan te. » Idumæi enim habitantes in montibus et petris, putabant se esse inexpugnabiles : sed inde per Chaldæos detraxit eos Deus.

LXVIII. Cap. L, vers. 2. « Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia ejus, superata sunt idola eorum. »

LXIX. Vers. 23. « Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ? quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus? » Chaldæi enim quasi mallei percusserunt Judæos omnesque gentes.

LXX. Vers. 35. « Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, etc. gladius ad divinos ejus, qui stulti erunt : gladius ad fortes illius, qui timebunt. Gladius ad equos ejus, et ad currus ejus, et ad omne vulgus, etc., gladius ad thesauros ejus, qui diripientur. » Hic gladius est Cyri et Persarum, qui Babylonem everterunt.

LXXI. Cap. LI, vers. 20. « Collidis tu mihi vasa belli, et ego collidam in te gentes, » *q. d.* Sicut tu, o Babylon, collisisti arma aliarum gentium : ita ego jam te tuosque cives et incolas per Persas collidam et conteram.

LXXII. Vers. 39. « In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, » *q. d.* Faciam ut Cyrus Babylonem et Baltasarem convivia agitantem invadat, civesque somno vinoque sepultos trucidet, ut æternum dormiant somnum; unde sequitur :

LXXIII. Vers. 40. « Deducam eos quasi agnos ad victimam, et quasi arietes cum hædis. »

LXXIV. Vers. 50. « Qui fugistis gladium, venite, nolite stare : recordamini procul Dominum, et Jerusalem ascendat super cor vestrum, » *q. d.* O Judæi in Babylone captivi, qui ejus excidium vidistis et effugistis, pergite, properate in avita patriam, tot annis et votis exoptatam : jugiter Dominus, ejusque templum, et urbs Jerusalem me vestræ obversentur.

EX THRENIS.

I. Cap. I, vers. 4. « Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Lugent, »

id est squalidæ sunt et desertæ. Est catachresis.

II. Vers. 6. « Egressus est a filia Sion omnis decor ejus. »

III. Vers. 8. « Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. » Stabilis est virtus, quæ stabili lege, ratione et Deo nititur : instabile peccatum et peccatores, qui instabili concupiscentia, mundo et dæmone aguntur.

IV. Vers. 12. « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. » Vox est Hierosolymæ a Chaldæis vastatæ.

V. Vers. 13. « De excelso misit ignem (iræ et vindictæ suæ fulmen) in ossibus meis : expandit rete pedibus meis, » ut a Chaldæis caperer, vincirer et illaquearer.

VI. Vers. 20. « Foris interficit gladius, et domi mors similis est, » *q. d.* Nec domi, nec foris mihi est salus et quies : utrobique enim Chaldæi filios et cives meos trucidant.

VII. Cap. II, vers. 11. « Effusum est in terra jecur meum, » *q. d.* Præ dolore quasi effudi viscera mea. Jecur enim sedes est amoris et concupiscentiæ, ac consequenter et doloris oppositi et commiserationis.

VIII. Vers. 13. « Magna est velut mare contritio tua : » venisti, o Sion, in fluctus et mare dolorum et malorum.

IX. Vers. 15. « Sibilaverunt, et moverunt caput super filiam Jerusalem : Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? »

X. Vers. 18. « Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat (non quiescat a ploratu) pupilla oculi tui. »

XI. Vers. 19. « Consurge, lauda (laudando invoca Deum) in nocte, in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. »

XII. Vers. 20. « Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et Propheta. »

XIII. Cap. III, vers. 17. « Repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum. Et dixi, Periit finis meus, » *q. d.* Non erit finis malorum meorum, « et spes mea a Domino. »

XIV. Vers. 22. « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. »

« Novi diluculo (beneficiorum soles quotidie exoriuntur, et a Deo nobis proveniunt,) multa est fides (fidelitas in iis, utpote nobis promissis, præstandis) tua. »

XV. Vers. 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea exspectabo Dominum. »

XVI. Vers. 25. « Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. »

XVII. Vers. 27. « Bonum est viro, cum portaverit jugum (disciplinæ et tribulationum) ab adolescentia sua. »

XVIII. Vers. 28. « Sedebit solitarius et tacebit : quia levavit super se, » *q. d.* Vir pius silenter assumet in humeros, feretque onus tribulationum sibi a Deo immissum et impositum.

Vers. 30. « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis : quia non repellet in sempiternum Dominus. »

XIX. Vers. 37. « Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? » Quis atheus dicat hasce cruces nobis non a Dei providentia immitti, sed casu, fato, aut a natura obvenire?

XX. Vers. 39. « Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. »

XXI. Vers. 44. « Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. »

XXII. Vers. 45. « Eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. »

XXIII. Vers. 51. « Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ? » *q. d.* Oculus meus videns filias Sion capi, illudi, violari, animam quasi et vitam mihi eripuit, ut præ dolore inciderem in deliquium, et quasi exanimarer.

XXIV. Cap. IV, vers. 10. « Manus mulierum (alias) misericordium (sed præ fame crudelium) coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei. »

Vers. 11. « Complevit Dominus furorem suum. »

XXV. Vers. 18. « Completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. »

XXVI. Cap. V, vers. 1. « Recordare, Domine, quid acciderit nobis : intuere et respice opprobrium nostrum. »

« Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ : aquam nostram pecunia bibimus : cervicibus nostris minabamur : lassis non dabatur requies : servi dominati sunt nostri : mulieres in Sion humiliaverunt. principes manu suspensi sunt : pueri in ligno corruerunt. »

XXVII. Vers. 16. « Cecidit corona capitis nostri : væ nobis, quia peccavimus. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? Converte nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros, sicut a principio. »

EX BARUCH.

I. Cap. II, vers. 6. « Domino Deo nostro justitia : nobis autem, et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc, » sicut hodie apparet.

II. Vers. 17. « Aperi oculos tuos (Domine,) quia non mortui, etc. sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva, et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino. »

III. Cap. III, vers. 2. « Audi, Domine, quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in ævum. »

Semel enim mortui, semper manebimus mortui, nec ad vitam præsentem redibimus.

IV. Vers. 9. « Audi, Israel, mandata vitæ : auribus percipe, ut scias prudentiam. Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis : deputatus es cum descendentibus in infernum, dereliquisti fontem sapientiæ; nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. »

V. Vers. 24. « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! »

« Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus. »

VI. Cap. IV, vers. 4. « Beati sumus, Israel; quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. »

VII. Vers. 20. « Exui me stola pacis, indui me sacco obsecrationis, et clamabo ad Deum altissimum in diebus meis. » Sunt verba Jerusalem excisæ, quæ pro filiis et civibus suis Deum obsecrat; unde subdit :

VIII. Vers. 23. « Emisi vos (in Babylonem) cum luctu et ploratu : reducet autem vos Dominus cum gaudio et jucunditate in sempiternum. »

IX. Vers. 28. « Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo : decies tantum iterum convertentes requiretis eum. »

X. Vers. 36. « Circumspice, Jerusalem, ad Orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem. Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem in verbo sancti gaudentes in honorem Dei. »

XI. Cap. V, vers. 4. « Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum : Pax justitiæ, et honor pietatis. » Loquitur de Jerusalem, ut dixi; sed assurgit ad spiritualem, puta ad Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem, cui hæc optime conveniunt.

EX EZECHIELE.

I. Cap. III, vers. 8. « Ecce dedi faciem tuam valentiorem facibus ipsorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam.

II. Vers. 17. « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si dicente me ad impium : Morte morieris : non annuntiaveris ei, ut avertatur a via sua impia, et vivat : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. »

III. Cap. VII, vers. 19. « Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. »

IV. Cap. XII, vers. 22. « Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel, dicentium : In longum differentur dies, et peribit omnis visio? » *q. d.* Minæ Prophetarum differuntur, nec reipsa explentur; ergo peribunt, et cassæ erunt et evanidæ. « Ideo dic ad eos : Quiescere faciam proverbium istud : Non » enim « erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua : quodcumque locutus fuero verbum, fiet, et non prolongabitur amplius. »

V. Cap. XIV, vers. 14. « Si fuerint tres viri isti in medio ejus (Hierosolymæ), Noe, Daniel et Job : ipsi justitia sua liberabunt animas suas, etc. sed nec filios, nec filias liberabunt. »

VI. Cap. XVI, vers. 3. « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa, » *q. d.* O Israel, ita es impius, ut non Abrahæ, sed Amorrhæorum et Cethæorum filius esse videaris.

VII. Vers. 49. « Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant. »

VIII. Cap. XVIII, vers. 2. « Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel? dicentes : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, *q. d.* Patres nostri peccaverunt, et nos eorum peccata luimus, proiisque punimur. Hisce respondet Deus : « Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ, meæ sunt : anima, quæ peccaverit, ipsa morietur : filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii : justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. »

IX. Vers. 21. « Si autem impius egerit pœnitentiam, etc. omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. »

Vers. 24. Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, etc. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. »

X. Vers. 31. « Quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite. »

XI. Cap. XXI, vers. 9. « Gladius, gladius exacutus est, et limatus. Ut cædat victimas, exacutus est : ut splendeat, limatus est. »

Vers. 16. « Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus. »

Vers. 28. « Mucro, macro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias et fulgeas. »

XII. Cap. XXII, vers. 18. « Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam : omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis : scoria argenti facti sunt. Propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem. et succendam in ea ignem ad conflandum. »

XIII. Vers. 24. « Fili hominis, dic ei : Tu es terra immunda, et non compluta in die furoris. Conjuratio Prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt. viduas ejus multiplicaverunt. »

« Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam. »

XIV. Vers. 30. « Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam : et non inveni. »

XV. Cap. XXXIII, vers. 11. « Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. »

XVI. Vers. 32. « Et tu (fili hominis), es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur : et audiunt verba tua, et non faciunt ea. »

EX DANIELE.

I. Cap. III, vers. 16. « Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus. »

II. Vers. 40. « Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium : sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi : quoniam non est confusio fidentibus in te. »

III. Cap. VI, vers. 22. « Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi : quia coram eo justitia inventa est in me. »

IV. Cap. IX, vers. 7. « Tibi, Domine, justitia : nobis autem confusio, sicut est hodie. »

V. Cap. XIII, vers. 22. « Angustiæ sunt mihi undique : si enim hoc egero, mors mihi est : si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. » Aurea hæc vox est Susannæ.

VI. Vers. 56. « Semen Chanaan, et non Juda species decepit te, et concupiscentia subvertit tuum : sic faciebatis filiabus Israel, et illæ timentes loquebantur vobis : sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram. »

VII. Vers. 59. « Recte mentitus es et tu in caput tuum : manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium. »

ÆNIGMATA.

EX ISAIA.

I. Cap. 10, vers. 22. « Consummatio abbreviata inundabit justitiam, » *q. d.* Paucitas Judæorum a Deo abbreviata est adeo, ut videatur esse consummatio, id est, consumptio et interitus eorumdem, faciet ut justitia et salus Dei se propaget et diffundat per omnes gentes, easque quasi inundet : vide dicta *Isaiæ* X.

II. Vers. 27. « Computrescet jugum a facie olei, » *q. d.* Omnis servitus evanescet a facie gratiæ et consolationis Dei.

III. Cap. II, vers. 11. « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini. » Virga Jessæa est beata Virgo, de qua germinavit flos Christus, super quem requievit septuplex spiritus Domini.

IV. Vers. 6. « Habitabit lupus cum agno : et pardus cum hædo accubabit : vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. » Lupi, pardi, leones sunt gentes barbaræ, quæ ad fidem Christi conversæ ferociam posuerunt, et cum vitulo, et ove, id est, cum fidelibus Christianis, pacifice et amice versantur, sinuntque se a puero, id est a simplici pastore, regi.

V. Vers. 10. « In die illa (erit) radix Jesse, » puta Christus gloriosus, qui stat in signum, id est, vexillum, « populorum, ipsum Gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. »

VI. Cap. XII, vers. 3. « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, » *q. d.* Uti Judæi olim sitientes de petra quasi de fonte biberunt, ita Christiani de Christi fontibus bibent aquas doctrinæ et gratiæ ad satietatem.

VII. Cap. XIII, vers. 1. « Onus Babylonis, » *q. d.* Minæ et oracula tristia contra Babylonem. » Super montem caliginosum, » *q. d.* Contra Babylonem, quæ caligine vaporum Euphratis et fumi proceuntis ex tot ejus domibus et focis obtegitur, vos, o Persæ, levate signum, id est, vexillum militare. « Ego mandavi sanctificatis meis, » puta Persis, qui quasi milites et sacerdotes mihi consecrati sunt, ut meæ justitiæ mactent et immolent impios Babylonios.

VIII. Cap. XIV, vers. 12. « Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci, » *q. d.* Quomodo, o Baltasar monarcha, qui splendore et gloria videbaris esse quasi lucifer stella, ac in fastu quasi Lucifer, Angelorum olim princeps, de throno monarchiæ tuæ, quasi de cœlo, corruisti spoliatus regno et vita, ac dejectus in tartara?

IX. Vers. 29. « De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem, » *q. d.* Ex Davide et Ozia nascetur Ezechias, qui gravius quam ipsi, vos, o Philisthæi, affliget, ut videatur vobis esse basiliscus, qui suo aspectu et afflatu etiam aves volantes necat et absorbet.

X. Cap. XVI, vers. 14. « In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab, *q. d.* Post tres annos vastabitur Moab a Chaldæis, qui ejus opes quasi pro mercede a Deo accipient, quia ei servierunt in expugnatione Jerusalem, et punitione aliarum gentium.

XI. Cap. XVIII, vers. 1. « Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius; ad gentem exspectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus, » *q. d.* Væ Æthiopiæ, quæ superbe ostentat suas copias; cum eæ nihil habeant præter inanem ostentationem, strepitum, et velut cymbali tinnitum; quæ sita est trans Nilum, et per illum in navibus ex papyro mittit suos legatos et milites in Ægyptum : nam vastabitur per Sennacherib, et postea per Nabuchodonosor. Vos ergo, o Sennacherib et Nabuchodonosor, quasi angeli mei, ite, et vastate Æthiopes, qui sunt gens convulsa, id est, a me per vos convellenda et dilaceranda, esto videantur esse terribiles.

XII. Cap. XIX, vers. 18. « In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum : Civitas solis vocabitur una, » *q. d.* Quinque metropoles Ægypti, id est, tota Ægyptus suscipiet fidem Christi, Deumque verum colet et laudabit.

XIII. Vers. 19. « In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, et in testimonium Domino. » Titulum vocat crucem, statuas, columnas, et templa, quæ Ægyptii conversi ad Christum ipsi erexerunt.

XIV. Vers. 24. « In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio, benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens : Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio : hæreditas autem mea Israel, » *q. d.* Ægyptii et Assyrii jam inter se inimici, sub Christo conspirabunt in unam Ecclesiam, ac cum Israelitis colent verum Deum, ideoque ab eo benedicentur : Dei enim hæreditas est Israel, id est, populus Christianus in Israele ortus.

XV. Cap. XXI, vers. 1. Onus deserti maris, *q. d.* Prophetia minax contra Babylonem, quæ cum fuerit mare gentium, nunc a Deo per Cyrum desolabitur, et redigetur in desertum. « Sicut turbines ab Africo veniunt, » ita « de deserto venit, turba et turbo Persarum et Medorum contra Babylonem.

XVI. Vers. 6. « Vade, et pone speculatorem. Et vidit » speculator « currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli. » Ascensor asini, id est Persarum vilium et servilium rex, est Cyrus; ascensor cameli, id est, Medorum nobilium rex, est Darius : hosce duos speculatus est hic Isaias, viditque eos junctis curribus et copiis invadere Babylonem.

XVII. Vers. 8. « Et clamavit leo : Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem, » *q. d.* Ego Isaias, quasi leo vigil, jugiter excubo, ut futura ex revelatione Dei discam et aliis prænuntiem.

XVIII. Vers. 10. « Tritura mea, et filii areæ meæ quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis, » *q. d.* O Judæi, qui in Babylone fuistis, quasi in tritura, annuntiabo vobis ea quæ a Deo audivi de Babylonis excidio, et vestra liberatione.

XIX. Vers. 11. « Ad me clamat ex Seir : Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos : Venit mane et nox : si quæritis, quærite : convertimini, venite, » *q. d.* Ego Isaias videor audire Idumæos, adventantibus Chaldæis pavidos, dicere excubitori : O excubitor, quid vidisti, quid sensisti nocte de Chaldæis? Quibus ipse respondet : « Venit mane et nox, » *q. d.* instat aurora, et tamen adhuc est nox; quare si quo vultis excurrere, si quid foris quærere, festinate, et quærite, ac mox in urbem redite, antequam hostis evigilans persentiscat, vobisque reditum præcludat.

XX. Vers. 16. « Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar. » Vide dicta superius cap. XVI, vers. 14.

XXI. Cap. XXII, vers. 1. « Onus vallis visionis. » Jerusalem vocatur vallis visionis, id est Prophetiæ : erat enim sedes Prophetarum. Alludit ad montem Moria, id est visionis.

XXII. Cap. XXIII, vers. 1. « Onus Tyri. Ululate, naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant. »

Vers. 3. « In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus, » *q. d.* Ægyptus ex aquis Nili exundantis fit fertilis, et copiosam dat messem ac fruges.

XXIII. Vers. 4. « Erubesce, Sidon, » quia tua colonia, et quasi filia, puta Tyrus, vastata est. « Ait enim mare : Non parturivi, et non peperi, et non enutrivi juvenes : mare, » id est Tyrus maris domina, ita incolis et filiis per hanc cladem orbata est, ac si nunquam eos peperisset vel aluisset.

XXIV. Vers. 10. « Transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi, » *q. d.* O filia maris, id est o Tyre, Chaldæus cingulum maris undique te ambientis tibi ademit : illud enim terra implevit, itaque te expugnavit; transi ergo quasi captiva, non per flumen, sed per terram in Babylonem.

XXV. Cap. XXIV, vers. 16. « Secretum meum